 II. 4. 222 1

Capitulum Provinciae Lituanae Ord. S. Basilii M. Congnis
Ruthenorum Praeside Perillustri Rmo Dno Porphirio Skar:
bek Wazynski Ord. S. Basilii M. Congregationis
Ruthenorum Proto=Archimandrita, Abbate Zydyczy:
nensi Protectore Collegii Vladimiriensis Ao Dni Mille:
simo Septingentesimo Octuagesimo Octavo Diebus Octo:
bris in Monasterio Abbatiali Zydyczynensi celebra:
tum

Sessio Ima.

Sessio haec die 6. 8bris n.s. horis pomeridianis habi:
ta Praeside Eodem Perillri Rmo Proto=Archimandrita. Prae:
misso de more hymno invocatorio Spiritus S., ac lecto cata:
logo Patrum jus interveniendi Capitulo juxta Antiquam Sche:
dam habentium, electus est in Notarium Capituli A.R.P. Da:
mascenus Rymaszewski Superior Novogrodecens. qui juxta
praescripta Capitulorum Generalium emisit juramentum
in manibus Perillris Rmi Proto Archimandritae formu:
lâ in Capitulis Generalibus adnotata.
Lectae deinde sunt Regulae Capituli Generalis Torocanens. con:
cernentes Capitula Provincialia, qua nimirum auctoritate pol:
leant, qua ratione ac methodo celebrari debeant?
Quibus lectis Praesens Capitulum inhaerendo Systemati Ca:
pituli Generalis Torocanensis de imminuendo numero Vo:
calium, futuram Schedam ad triginta Personas praeter Offici:
ales Generales et Provinciales reduxit, atque contraxit, quae est
ejusmodi:
PP. RR. DD. Abbates Zydyczynensis, Braslaviensis, Grodnens.
Leszczynensis, Kobrynensis, Dorohobusensis, Dermanensis, Po:
locensis, Trocensis Dubnensis, et Czerejensis.
AA. RR. PP. Superiores Monasteriorum: Vilnensis Zyroviensis,
Bytenensis, Torocanensis, Berezvecensis Hetmensis, Borunens.
Bialensis, Vladimiriensis Antopolitanus Brestensis Rozanen:
sis Minscensis.
Magistri Novitiorum duo; Bytenensis et Berezvecensis. Pro:
fessores Theologiae duo, Professor Philsphiae Unus Ancianus, et Concio

nator

1788.

Vilnensis.
De Professoribus Theolgiae statutum est, ut non attento, sive scholasticio-Speculativo=Dogmaticam, sive pure Dogmaticam tradant, si pro Vocalibus assumantur, qui aut meritis, aut Vocatione aut Antiquitate reliquis con:Professoribus praeeant, dummodo assumendi ex diversis sint Monasteriis, in quibus haec Studium pertractatur.
Hac occasione mota est quaestio, num Professores Theologiae Alumnatus Pontificii Vilens. admittendi sint ad Catalogum Vocalium? adductaeque sunt in contrarium rationes: Una quidem, quod perspectum sit redditus ejusdem Alumnatus adeo stricte definitos, determinatos, et circumscriptos esse, ut non sufficiant sufferendo oneri expensarum, quae pro Viatico impendi deberent, injunctio vero cuipiam Monasterio earundem expensarum nimis gravaminosa videretur. Altera, quod si Professores Alumnatus ad beneficium Vocalitatis admitterentur, equa ratione, imo potiori jure admittendus esset Rector ejusdem, atque adeo contra mentem Capituli Generalis Numerus Vocalium Personarum extendi augerique deberet. Tertia denique est: quod tempus celebrandorum Capitulorum frequenter in eos incidat menses, quibus Lectio Theologica in Alumnatu omnino est tradenda.
His ita compositis deputati sunt ad calculandam Cassa Subsidionalem Perillris Rmus Dnus Lucidus Woynitowicz Abbas Kobrynens. ac V. A.R.P. Benedictus Eliaszewicz exSecretarius Ordinis, ad calculandam vero Cassam Provincialem V.A.R.P. Athanasius Salkowski Consultor Provinciae et A.R.P. Sylvester Antonowicz Superior Zyrovicens.

Sessio 2da.

Haec Sessio agitata erat die 7. praesentis Ns. horis itidem pomeridianis Preside Rsmo Dno Hierotheo Korczyński Ex Vicario Genrli Ord. In qua ad mentem Capituli Gnralis Toroczanensis placuit Patribus Congregatis duo determinare Monasteria, alterum pro Nosocomio, alterum pro Domo Recollectionis. Nosocomium quod attinet, illud spectata aeris salubritate et facultate loci in Monasterio Lzonnensi fundandum esse voluerunt, pro Domo autem Recollectionis Monasterium Ladense determinarunt. Sed quia Monasterio Lzonnens. ex lapide cocto erigendo nondum ultima manus sit imposita, nec id brevi tempore perficiendum speratur, ob hanc potissimum rationem: quod apud se sustentet Theolgiae Dogmaticae Studium, nec esset par et huic Studio, et Nosocomio, quod non mediocres sumptus, prerequirit sustinendo; ea propter recommendatum est futuro Rsmo Officio Provinciali, ut Illi Monasterio de necessariis huic negotio commodis prospiciat, et tunc demum sanctum Capituli praesentis executioni demandet. Pari ratione Eidem Rsmo Officio injunctum est, ut si in Praesenti

Capitulo

Capitulo subsidium Congruum Monasterio Ladensi intuitu futuræ
idem Domus Recollectionis afferatur, caret ita idem Monasterium muni-
cium; quatenus discoli monachi nec iis, quæ ad reparandum Spiritum,
nec iis, quæ ad securitatem et custodiam Corporis pertinent, cum gravi incom-
modo destituantur. Futuris tamen Capitulis non est negata potestas pro
rerum temporumque circumstantiis tam Domum Recollectorum, quam
Nosocomium in alio quopiam Monasterio designare.
Cum in præsenti Grali Capitulo visum sit Patribus Congregatis non esse
infringendam vel immutandam legem Capituli Gralis Brestensis de loco
Residentiæ Officii Gralis in Monasteriis Pozajoviensi et Torokanensi
servato more alternativo; ideoque pro hac etiam vice Officium Grale
sit annexum Monasterio Torokanensi, quod auctis inde expensis non
foret idoneum retinendo tyrocinio Rhetorices minoris, placuit hocce
studium alio transferendum et collocandum in Monasterio judicio
futuri Rmi Officii Provincialis determinando.
Sub finem hujus Sessionis unanimi consensu definitum est, ut
futurum Rmum Officium Provinciale deligat, si opus fuerit, unum aut
duos Viros Religiosos rerum gerendarum gnaros, ac bono Religionis
addictos, qui in præsentibus Gralibus Regni Comitiis Varsaviæ negotia
suæ Provinciæ una cum ARP. Procuratore Varsaviensi promoverent. Sum-
ptus ad id necessarii tantisper ex Massa Provinciæ extradentur. Hi itaque
Delegati finitis Regni Comitiis tenebuntur Rmo Officio Provinciali fi-
deliter omnia, quæ gesserint, deferre, et calculum expensarum dare
præmisso etiam juramento si ita videbitur Eidem Officio. Finito calculo
et computatis expensis, quot compertum fuerit erogatum esse, tot summæ
pecuniariæ repetetur per Rmum Provincialem ex singulis Monasteriis
justa facta distributione ad reparandam Cassam Provinciæ.

Sessio 3tia.

Die 8. præsentis horis matutinis Præside Perillri Rmo ProtoArchimandrita
Congregatis Patribus ARP. Alexander Baranski Rector Vladimiriensis
egregium instituit sermonem, ac nomine sui Collegii concinne et ad
rem apposite toti Provinciæ Nostræ gratum ac memorem contestatus est
animum, iis potissimum, qui fabricæ Ejusdem Collegii opem pecuniari-
am pro viribus suis contulerunt.
Primas hac in re partes disertis Verbis detulit Perillri Rmo Dno Por-
phirio Skarbek Ważyński ProtoArchimandritæ Congnis, qui præterquam
quod ex suo Abbatiali Monasterio singulis Annis Mille florenos
polon. promovendæ huic fabricæ ob suam Paternam in id Collegium
propensionem elargiri solitus erat, aliis præterea possibilibus modis du-
rante suo Officio Provincialatus, quod cum summo Religionis com-
modo ac ornamento præclare gessit, eandem fabricam fulcire non
gravabatur.
Quare institit precibus, ut Illi incomparabili in Nostra Congregatione
Viro præter cæteros titulos, quos æquissimo jure vendicat, titulus etiam Pro-
tectoris Collegii Vladimiriensis superadderetur.

Sed

Sed ne ea omnia solo verborum apparatu ad assentationem composita viderentur, praefatus A.R.P. Rector declaravit suum Collegium libere suscepisse et sibimet imposuisse hanc perpetuam et inviolabilem obligationem, ut semel de anno una Missa cantata celebretur, et perpetuum fiat memento à singulis Presbyteris idem Collegium inhabitantibus pro piis loci hujusce Benefactoribus.

Quia interim fabrica hujusce Collegii subtracto ulteriori subsidio non posset terminari, ea propter ab Eodem expetitum est, ut sua Provincia, quae hucusque, eadem ulterius benevolentia, liberalitate ac protectione suo Collegio opitulari non dedignetur.

Praesens Capitulum et obligationem Collegii Vladimiriensis libere sibi impositam decantandi Sacrificii Missae excepit humanissime, et in titulum Protectoris Collegii Vladimiriensis libenter consensit, et ulteriorum beneficiorum prosecutionem benevole appromisit.

Ab Eodem A.R.P. Rectore exhibita est Charta Topographica Ecclesiae, Collegii et officinarum, ex qua demonstravit idem Collegium nimia loci angustia premi, atque intulit necessitatem faciendae commutationis nonnullarum arearum et aedificiorum perpetuo jure ad suum Collegium pertinentium, sed longius distantium in areas et aedificia viciniora, quae possidentur partim ab Illma Dna Cunegunda de Ducibus Sanguszkowum Czadzka excubitoris Regni Conjuge, partim à Monasterio Zahoroviensi Ord. Nostri Provinciae Polonae, partim etiam ab aliis, postulavitque ut sibi detur copia faciendae ejusdem commutationis.

Patres Congregati censuerunt supplicandum esse, uti et de facto nunc supplicant Illmae Czadzka Ejusque Successoribus, ut pro sua Magnanimitate ac Zelo promovendae publicae Educationis huic commutationi clementer consentiat. Easdemque deferunt preces Almae Provinciae Polonae in casu commutationis Areae ad Monasterium Zahoroviense spectantis. Committitur autem A.R.P. Rectori, ut praehabito Beneplacito Aplico hoc negotium omni meliori modo, servatisque de jure servandis ad exitum deducat.

Quoniam Perillris M. Dnus Ignatius Korowicki Dapifer terrae Gostynensis ex plena gratitudine erga Beatum M. Josaphat ArchiEppum Polocensem memor beneficii sibi praestiti in recuperata Corporis valetudine prissimum Votum suum perpetui Suffragii singulis hebdomadis unius Sacrificii Missa lecta in Ecclesia Nostra Bialensi pro Animabus Defunctorum offerendae postulavit à Patribus Congregatis approbandum, atque pro debito stipendio Decem Millia florenorum Pol. 10000. pro die 24. Junii N.S. Anno sequente 1789. Monasterio Bialensi sese exsoluturum, solenniter obstrinxit, et jam ab eadem summa Septingentos florenos Pol. 700. annui Census numeravit; hinc praesens Capitulum Ejusmodi Votum comprobans non modo prissimo huic desiderio annuit verum etiam Ipsummet Perillrem M. Dnum Ignatium Korowicki suscepta summae praeexpressae exsolutione ad merita suscipiendum Religiose spopondit.

regiose spopondit

Nec minorem zelum ac pietatem suam in promovendo cultu Ejusdem Beatissimi Mart. Josaphat commonstravit Adm. R. P. Thimotheus Szczurowski modernus Rector Missionis Bialensis cum summam usûs proprii Florenos Pl. sex millia 6000. Eidem Monasterio applicaverit hac mente et conditione: ut in dicto Monasterio Bialensi quatuor pueruli verè pauperes, cantui Ecclesiastico dediti impensis Monasterii perpetuo alantur et vestiantur.

Unde cautum est, ut hæc Summa 6000. quæ conjuncta Summæ viginti millium 20000. flor. pol. reperitur nunc pro annuo censu locata apud Illmum Mcum Dnum Franciscum Detenczyn Comitis Opolinski vexilliferi Podlachiæ, inexpendibilis, ac inerogabilis maneat.

Ex parte Monasterii Lauryszoviensis propositum erat Systema ut Summa trium Millium 3000. fl. Pol. hærens Vilnæ in Synagoga Inprimis censi transferatur in Cassam typographiæ Nostræ Vilnens ex qua annuus census facilius Monasterio Lauryszoviensi statis temporibus transmitti posset, sed cum Capitulum gravioribus distentum sit negotiis, idem Systema pariter ac nonnullas prætensiones ad Monasterium Novogrodecense futuro Officio Provinciali inspicienda, decidenda et componenda commendavit.

Porrectæ sunt deîn Literæ V. Josaphatæ Trzeciakowna Ord. nostri Superiorissæ Monasterii Vladimiriensis in quibus nomine suæ Communitatis Supplicat Capitulo præsenti, ut Ecclesiam in loco Nativitatis B. M. Josaphat ex lapide cocto olim curâ et zelo Revmi Illmi Dni Protoarchimandritæ Præsentis splendidè exstructam in Civitate Vladimiriensi cum adjacentibus areis ad Collegium Nostrum Vladimiriense pertinentibus cedat juri suo. Unde et integritati Ejusdem Ecclesiæ, si penes Eam erigeretur Monasterium, et Cultui B. Mart. egregiè prospiceretur.

Patres Congregati explorata petitionis æquitate, Eidem assensêre. Ut autem hocce negotium feliciter terminetur, censuerunt remittendum esse Sanctimonialibus Vladimiriensibus ad Admum Officium Grale, quod perpensis perpendendis rem integram ultimariò decidet.

His ita digestis et compositis accessit Capitulum Præsens ad expendendas nonnullas Regulas et Constitutiones præteriti Capituli Gralis Brodkarensis. Ac primò facta mentione Studiorum, quibus erudiuntur Juvenes Nostri Religiosi, et proposito dubio, num omnino in iisdem Monasteriis, in quibus ad præsens, retinenda sint? censuit Capitulum non ligatam esse potestatem Officii Provincialis transferendi Ea ad alia quæpiam Monasteria justis id suadentibus rationibus.

Eidem officio commissa est coordinatio seu regulamen Studiorum juxta Systema Rndi Patris Juliani Antonowicz Præfecti scholar. Vladimir. ab aliquot Annis publicæ Educationi cum non postrema Nominis sui laude ibidem Adlaborantis, in quo nimirum Systemate ad Mentem Illmæ Præfecturæ Educationis ita posset nostra institui Juventus, ut subsequis temporibus apta evaderet publicis tradendis disciplinis.

Huc referenda est dispositio Capituli præsentis, ut penes minorem Majoremque

Rhetoricam

Rhetoricam Studium etiam linguæ Græcæ foveatur, salvo tamen studio latinitatis ac cæterarum linguarum: uti Gallicæ, Germanicæ etc. Si iis commode possit imbui Juventus Scholastica.
Innovata est deim Constitutio Capitulorum, ut resolutio Casuum Conscientiæ qualibet Septimana in singulis fiat Monasteriis, additumque est sequens præsentis Capituli Sancitum: ut iij qui antea pro capacibus recogniti, et in ordine ad excipiendas Fidelium Confessiones approbati fuerant, tandem ob incuriam comparatæ scientiæ obliti sub tempus Visitationis Canonicæ incapaces invenirentur non solum suspensione ab excipiendis confessionibus; sed etiam subtractione omnis potus generosioris, etiam cerevisiæ puniantur, donec se capaces, et in Theologia Morali probe versatos non indubio argumento commonstrent.
Pariter pro Parochis regula Capituli Torokanens. in integro confirmata est cum addita hac lege: ut Superiores, vel Parochi, vel denique à Superiore missi ad renovanda Sacra Olea studeant ab Officiali vel Decano suæ Parochiæ testimonium renovationis accipere idemque sub tempus Visitationis Canonicæ teneantur exhibere suo Visitatori.
Ad compescendam nonnullorum Arrogantiam, qui eo ipso, quod Concionatoris Munus exerceant, temere autumnarint natos se esse Promotores Confraternitatum absque ulla, eaque ex natura Status Religiosi debita subordinatione Superiori loci, placito præsentis Capituli declaratur: non omnino annexum esse Officium Promotoris Officio Concionatoris, ac liberæ Superiorum dispositioni relinquitur quemcunque alium è Religiosis, suadentibus id causis rationabilibus, ad id Officii deligere, deputare, et designare.
De iisdem Concionatoribus statuitur, ut obventiones ex ejusmodi Munere provenientes, uti sunt stipendia pro denunciationibus Sacramenti Matrimonii, item pro Sacrificiis Missarum ex Cassa Confraternitatum pendi solita ad communem Cassam Monasterii in integro reddatur, nisi aliter Superiori loci visum fuerit.
Confirmatum item est, ut munus Fiscalis Provinciæ penes Munus Superioris Torokanens. retineatur, idemque teneatur juramentum præstare in manibus sui Installatoris in Superiorem Ejusdem Monasterii.
Postremo indagatum est: num lex Capituli Provincialis Torokanens. de Archivistis Provinciæ præsenti turno executioni demandata fuerit? patuitque horum Monasteriorum Archivia revisa et ordinata fuisse: nimirum per ARP. Heraclium Boreysza Zyroviens., Volnens., Daroviens. et Ceprens. per ARP. Gedeonem Hajewski Bytens. Łyskoviens., Rożans. et Chomscens. per subrogatum in ejus locum ARP. Jasonem Nowicki Torokans., Brestens., Bialens. Antopolit: Kobrynens. Nowosielcens. et Drohicens. Cujus Officii executionem ac ulteriorem continuationem ut futurum Officium Provinciale diligenter urgeat, apprime commendatum est.

Sessio IIta

Die eadem a prandiis Præside Rmo Dno Hierotheo Korczynski Vicario Generali Ord. Patres Congregati memori recolentes animo beneficia liberalissime collata Illmos Excellmos ac Rmos Dnos Antistitum Maximiliani Rytto, Eppi olim Helmensis ad præsens Premisliens. item Joachimi Horbacki Eppi Pinscens. quorum Nomina et laudes nullis unquam in Provincia Nostra obli

teranda

obliteranda sunt temporibus, Debitam utrique cum pleno venerationis obse:
quio contestarunt gratitudinem. Horum primus Monasterio Hełmensi Sum:
mam Viginti Millia Florenor Pol. ad instituendam Juventutem Religiosam
Studio Philosophiæ perpetuis addixit temporibus, pro sua etiam in Beatum
Mar Josaphat, cujus egregium typum gerit, propensissima pietate multa
præstitit beneficia, quæ concernunt decorem, et ornamentum Ecclesiæ Nostræ
Bialensis, in qua venerandæ Quadam Divinissimi Mar. exuviæ publico cul:
tui expositæ requiescunt. Alter vero Illmus scilicet ac Excellmus Eppus
Pinscens Summam decem Millia flor Pol. 10,000. Monasterio Nostro Antopol.
pro studio Rhetorices in Capitulo Provinc Torokan: Anno 1784. promissam
liberaliter elocavit
Horum Antistitum insigne in Religionem æmulatus studium ac propensio:
nem ARP. Hieronymus Ostacki Superior Minscens obtulit suæ Provinciæ Sum:
mam usus proprii Decem Millia flo. Pol 10,000. Eamque Monasterio Bia:
lensi intuitu promovendi cultus B. Mar Josaphat sine ullo onere applican:
dam esse postulavit, se autem protestatus est Rssmè teneri ad exsolvendam
Eandem summam Anno sequenti 1789. Die 24. Junii ns. Hanc itaque
Illius Viri in Religionem aliunde rebus præclarè gestis in singulis Mo:
nasteriis, in quibus Superioris Munere functus est, optimè menti, omni qua
par est venerationis et gratitudinis contestatione Præsens Capitulum accep:
tavit, Eamque Summam inexpendibilem, sed pro Annuo censu locandam
pronunciavit.
Facta tandem mentione de vindicanda summa decem Millium flor. Pol. cum
olim Perillris Rmi Dni Augustini Nowosielski Abbatis Kobrynens, quam
utpote juris sui Perillris Rmus Dnus Lucidus Woyniłowicz Modernus Abbas
Kobrynens in Prædio Krzywobłoty in Palatinatu Brestens à se locatam in Ca:
pitulo Provinciali Torokanens Provinciæ cessit, Eandemque Provincia Collegio
Vladimiriensi applicavit; suspensa est resolutio danda ab Officio Provinciali,
cuinam è Religiosis vellet committere ulteriorem prosecutionem Juris, cum
V. ARP. Benedictus Eliaszewicz Ex-Secretarius Ord. ob graves rationes suæ
causæ ulterius invigilare nequeat.
Quod attinet promissas fundationes de nova radice Perillustrium MM. DD.
Ignatii Szyryn Ex-Judicis Castrensis Braslaviens in Villa Hermanowicze
dicta, et Basilii Szkultyn Colonelli Exercituum M. D. L. in Villa Albrychtow
recommendatum est futuro Officio Provinciali, ut id negotium omni possi:
bili modo studeat promovere

Sessio 5ta

Habita die 9 9bris ns. Horis Matutinis Præside Perillri Rmo Dno
Proto Archimandrita Ord.
In hac Sessione cum ventum esset ad faciendum calculum Cassæ subsidio:
nalis, patuit, quod apud Depositarium ejusdem ARP. Silvestrum Palczewski
Superiorem Lytens debeant inveniri de præterito turno flo Pol. Decem millia,
quadringenti viginti quinquè, asses viginti sex 10,425. De præsenti vero
turno quatuor Millia septingenti octuaginta asses septem. 4.780. as. 7. cum
adjectis flo. Pol. ducentis. 200.
Item dimidium proventus ex typographia Vilnens præteriti turni flo. Pol. no:
vemdecem

—cu

Novemdecem millia centum triginta septem. 19137. Presentis verò turni itidem dimidium proventus Ejusdem typographiae fl. Pol. sexdecem millia septingenti octuaginta septem apes decem. 16,787. ap. 10.
In Summa tam ex derelictis Religiosorum, quam ex typographia utriusque turni fl. Pol. quinquaginta et unum millia. trecenti triginta apes tredecem cum dimidio. 51330. apes 13.½.
Quia vero typographia Vilnensis ad extinguendum debitum Monasterii Antopolitani exsolvit Monasterio Kavatensi fl. Pol. Mille. 1000. ideirco remanent pro Cassa Subsidiosali fl. Pol. duntaxat quinquagita Millia trecenti triginta apes tredecem cum dimidio. 50,330. ap. 13½
Ad eandem Cassam pertinent nonnullae summae repetendae à quibusdam Monasteriis et inferendae in Regestra perceptiva subsecuta earundem exsolutione nimirum: post fata V.A.R.P. Meletii Giedroidz Consult. Prov. fl. Pol. quadringenti octodecem apes viginti. 418. ap. 20. à Monasterio Suchoviensi, pro derelictis R.P. Benedicti Smykowicz fl. Pol. viginti octo. 28. à Monasterio Zhiketensi repetendi veniunt. Summa repetendorum fl. Pol. quadringenti quadraginta sex apes viginti. 446. ap. 20.
Summam prae expressam Cassae subsidionalis Capitulum Presens conformiter ordinationi Capituli Provincial. Torkanenz Anno 1784. de sublevandis ex hoc fonte iis Monasteriis, quae hac ope magis indigere a Capitulis recognita fuerint, ita disposuit, ut quinquaginta Millia 50000. fl. Pol. cedant monasterio Ladensi, in quo Domus recollectorum fundanda venit, cum onere celebrandae perpetuo missae Cantata semel de Anno cum duplici parastasi seu officii defunctorum, et missa legenda à quolibet ex Patribus ejusdem Monasterii ac offerenda pro Animabus eorum Omnium, qui ad incrementum ejusdem Cassae quocunque modo de suis derelictis concurrêre.
Residuum autem fl. Pol. trecentos triginta apes tredecem cum dimidio 330. ap. 13.½. aplicavit Monasterio Verchoviensi.
Respondendo item votis et precibus A.R.P. Alexandri Baranski Rectoris Vladimiriensis de sublevando suo Collegio, quod propter amplitudinem fabricae non mediocres sumptus postulet, Capitulum praesens servando fidem promissi Sessione 3tia dati Eidem Collegio cessit aureos nummos sexcentos septuaginta quinque, 675. olim à piae functo V.A.R.P. Samuele Nowicki Consultore Provinc. Superiore Vilnensi à Monasterio Berezveciensi in rem sui Monasterii mutuo acceptos, nunc autem à Monasterio Vilnensi repetendos et Collegio Vladimiriensi, aut in natura exsolvendos, aut ex eadem summa Annuum censum pendendum. Huic Presentis Capituli memoratae summae 675. aureos nummos pro parte Collegii Vladimiriensis dispositioni A.R.P. Ambrosius Synhajewski Monasterio suo à Vilnensi debitorum quae Superior ejusdem Monasterii Berezveciensi benignè annuit.
Ad Complementum Summae mille aureorum Nummorum praefato Collegio Vladimiriensi promissorum Monasterium Vilnense aureos nummos centum 100. Monasterium Kazimiroviense aureos nummos viginti quinque, 25. Monasterium Torokanensi aureos nummos centum, 100. qui post fata V.A.R.P.

Constantini

Constantini Rogowski Ex Consultoris Provinc. Eidem Monasterio Toro-kanensi erant inscripti, libenter obtulère.
Preterea Perillustris Rmus Dnus Proto Archimandrita ob singularem suam in id Collegium benevolentiam de proprio peculio aureos nummos quinquaginta. 50. alteros autem quinquaginta 50. à se conquirendos liberalissime appromisit.
Facta distributione Cassæ subsidionalis V.A.R.P. Innocentius Milanowski Consultor Provinc. Superior Borunen. attulit preces pro Monasterio suo, ut Ei summa duorum Millium fl. Pol. ex Cassa subsidionali ad sustentationem Religiosorum mutuo accepta benigne condonaretur. Patres Congregati reposuerunt non restare amplius in Cassa subsidionali præter mille nongentos fl. Pol. 1900. post piè functum V.A.R.P. Justinum Czeczkowski Ex-Consultorem Provinciæ et ex his reddi debere mille flo: 1000. Monasterio Minscen. residuum autem nongentos fl. scilicet fl. cedere nunc Monasterio Borunen. cum promissione ejusmodi: quod ex futuris deserelictis futurum Capitulum Provinc. Eidem elargietur mille centum flor. 1100. in compensationem duorum Millium fl.; quos nunc Monasterio Ladensi pro Domo recollectionis Monasterium Borunen. restituere tenet.
Ut indemnitati summarum consulatur, serio præcustoditum est præsentis Capituli judicio, ut tam summa quinquaginta millia fl. pro re Monasterii Ladensis, quam summa mille aureorum nummorum pro parte Collegii Vladimiriensis neutiquam sub quocunque prætextu distrahatur, sed in integro sub vigilantia et protectione Venerabilis Officii Provinc. maneat et conservetur.
Non secus cautum est ut summa Monasterii Torokanen. viginti millia fl. Pol. 20.000. singulari curâ, industriâ, et rei œconomicæ scientiâ per A.R.P. Ignatium Bazanowski Superiorem Torokanen. collecta, et in annuum censum apud Illmum Dnum Stanislaum Sołtan Vexilliferum M.D.L. Capitaneum Sloniman. locata pro summa Capitali nec unquam expendibili retineatur.
In partes Beneficii subsidionalis venit postremo Collegium Swirzenen. quod cum impar sit ob tenuem fortunam persolvendo subsidio charitativo exportanti pro Anno fl. Pol. ducentos sexaginta octo et asses viginti. 268. as. 20. provisum est Ei paterna Perillustris Rmi Dni Proto Archimandritæ sollicitudine, ut ejus loco hæc summa de Monasterio Zohaiovien. ex speciali conventione et acceptatione quotannis persolvatur.

Sessio 6ta

Die eadem à prandiis Preside eodem Perillustri Rmo Dno Proto Archimandrita pergendo Capitulum in discutiendis Sanctitis Capituli Provinc. Torokanen.

Eam legem

Eam legem, qua usus cremati junioribus Religiosis serio prohibetur, in integro approbavit, ac in perpetuum ratam, firmamque esse voluit.
Collaudato tandem studio ac Zelo boni Communis A.R.P. Ambrosii Pyrhajewski Superioris Berezvecens. ob intentatam litem Monasterio nostro Polocens. sub Dominium Rossiacum redacto de prædiis ejusdem Monasterii Czerstwiaty et Pudzitowiczo nuncupatis ... in compensationem bonorum Wierzbitow sub Dominio Rossiaco contentorum, sed jure fundationis ad Monasterium Berezvecense pertinentium, nuper autem à Monasterio Polocens. nulliter et via facti occupatorum; Præsens Capitulum injunxit V. Officio Provinc. ut eandem Causam ulterius continuare ac promovere satagat.
His omnibus rebus, quæ Monasticam disciplinam, regimen et emolumentum totius Provinc. concernunt, probe compositis et ordinatis designati sunt Judices incorrigibilium VV. AA. RR. PP. Maximilianus Witczyński Proto Consultor Ord. Superior Vilnens. Josephus Narolski Ex-Consultor Provinc. AA. RR. PP. Januarius Krystkowski Superior Kassutensis Sebastianus Jurkiewicz Superior Darovicens. Damascenus Rymaszewski Superior Novogrodecens. Bartholomeus Kuczyński Professor Thlgæ Berezens. substituendi in locum Judicum Actualium. Reliqui vero Judices incorrigibilium illi sunt AA. RR. PP. Sylvester Antonowicz Superior Zyrovicens. Josaphat Wereszczaka Superior Hełmens. Remigius Jakubowicz Superior Brestens. Thaddeus Lebedziński Superior Ladensis.
Attentis demum nonnullorum specialibus in Religionem meritis, quo et virtuti debitus honor conferatur, et Religiosi juniores ad piam æmulationem et præclara opera efficatius stimulentur excitentur et inflammentur; in Catalogum Patrum in Provinc. nostra emeritorum cooptati sunt V. A. R. P. Joachimus Gudowski Ex-Consultor Ord. cui non secus ac A.R.P. Josepho Narolski olim adjudicata nunc est pensio trecenti fl. Pol., quor. dimidia pars ex Monasterio, in quo manebit, altera dimidia pars ex Cassa Provinc. præfixa est exsolvenda.
A.R.P. Hieronymus Arteski, Superior Minscens.
A.R.P. Theophilus Serafinowicz Superior Lyskovens.
A.R.P. Theoctistus Denedowicz Pœnitentiar. Zyrovicens.
A.R.P. Nicephorus Nowicz Præfectus typographiæ Vilnens.
A.R.P. Josaphat Liskiewicz Pœnitentiarius Zyrovicens.
A.R.P. Adamus Korzak Pœnitens. Berezvecens.
Quibus laudatissimis Viris ea omnia jura, quæ in Capitulo Gnali Torokanens. sub titulo emeritorum sunt præstabilita, salva firma ac rata fore Capitulum præsens solennissime pronuntiavit addito: quod famulus emeritorum à Superiore loci sit destinandus, idemque impensis Monasterii non solum alendus sed etiam proporcionate suo statui ac conditioni vestiendus.

Cum jam

Fr. in Dokumenty Rejnh. cit.

Cum jam nihil discutiendum superesse videret, Perillris Rmus Dnus Proto Archimandrita Praeses Capituli praemissa brevi et eleganti adhortatione futuro actui apposita electionem Provincialis ejusque Officii in diem dd. Mensis praesentis N.S., die 10. quidem pro Colloquio et consilio mutuo Patrum in ordine ad electionem futuri Superioris Provinciae destinata, indixit, atque ita sessionem solvit.

Sessio 7ma

Die praestituta electioni Mensis 8bris dd. N.S. Horis matutinis servatis de more et lege servandis sub praesidentia Perillris Rmi Proto-Archimandritae Congnis lectoque Catalogo Vocalium electus est per suffragia secreta, medietate plura in Superiorem Provinciae Litt. Rmus ac Rlmus Dnus Pater Athanasius Falkowski Vir pietate, eruditione, ac meritis insignis.

In Proto-Consultorem Provinciae V.A.R.P. Innocentius Milanowski

In Consultorem secundum V.A.R.P. Silvester Antonowicz

In Consultorem tertium V.A.R.P. Ignatius Baranowski

In Secretarium Provinciae V.A.R.P. Theodosius Goyżewski Omnes pariter per suffragia medietate plura.

Finito actu electionis, et praestito Juramento tam à Rsmo Patre Provinciali, quam ejus Officialibus, in gratiarum actionem DEO decantatus est hymnus Ambrosianus, eoque finito Neoelectus Rmus Provincialis debita ac festiva apprecatione, nec non homagio religiosae subjectionis ac venerationis pro Patre et Superiore Provinciae ab Omnibus est exceptus atque recognitus

Sessio Ultima

Die 15. mensis praesentis N.S. horis matutinis Preside Perillri Rmo Proto Archimandrita Congregationis. in hac sessione ex propositione V.A.R.P. Innocentii Milanowski Proto Consultoris Provinciae, qua conquestus est suum monasterium Borunense, cui hucusque praeerat, nimia obligationum multitudine gravatum esse, postulavitque, ut sibi in his rerum angustiis levamen aliquod à Provincia adferatur; accedentibus etiam precibus Patrum Congregatorum Rmus Pater Provincialis benigne suscepit sex millia missarum Sacelli Borunensis in singula Monasteria distribuenda, Monasterio autem Hetmensi eandem opem promisit se allaturum, postquam Missae ~~Ecc~~ Ecclesiae Borunensis absolutae fuerint. Prosimili Casu censuerunt Patres supplicandum esse Stae Sedi Apostolicae pro obtinenda gratia moderaminis obligationum respectu aliorum Monasteriorum.

Postremo confecta est nova Scheda Contributionis ad Cassam Provinciae ex occasione liberati Monasterii Torokanensis, assolvendis ad eandem Cassam Ducentis fl. Pol. ob imminentem Residentiam Rsmi Officii Gralis estque pro futuris temporibus ejusmodi

Antopolitanum

	Floreni		Floreni
Antopolitanum solf.	182.	Kasutense	120.
Berezvecense solf.	500.	Kobrynense	80.
Biatense	100.	Ladense	150
Borunense	230.	Lyskoviense	150.
Braslaviense	100.	Leszczynense	100.
Brestense	100.	Lawryszoviense	126.
Bytenense	390.	Lohoyscense	50.
Helmense	170.	Mizense	40.
Ceprense	80.	Minscense	180.
Chomscense	52.	Novodvorense	80
Czerejense	150.	Novosielecense	30.
Czerlojense	60.	Poddubiscense	30.
Daroviense	120.	Policense abbatiale	100.
Dermanense	300.	Postaviense	20.
Dobryhorense	100.	Rakoviense	40.
Dorohobusense	60.	Rożanense	50.
Drohiczynense	20.	Sielecense ad Brahin	80.
Dubnense	100.	Suchoviense	90.
Grodnense	80.	Suchoviense	10.
Helianoviense	60.	Swierznense	10.
Hlusznense	70.	Surzyscense salvo solutione annua domi gratuita pro morituro Drohicinensi	40.
Jabłonoviense	13.	Twernse	2.
Jakobsztadense	52.	Uszacense	50.
Illuksztanum	65	Verchoviense	20.
Kaziminoviense	150.	Volnense	100.
		Vilnense	350.
		Vladimiriense	40.
		Zydyczynense	300
		Zyroviciense	400.

Porphyrius Skarbek Ważyński Ord. S. Basilii M. Congr. Ruthenor. Protoarchimandrita Abbas Zidiczyn.

Athanasius Falkowski Ordinis S. Basilii M. Provinciae Litt. Superior.

Maximilianus Wilczyński Ord. S. Bas. M. Proto Consultor [illegible]

Innocentius Milanowski Or. S. Bm. Proto-Cons. Prov. Litt.

Silvester Antonowicz Ord. S. Basilii M. Consultor Provinc.

Ignatius Baranowski Or. S. B. M. Co[illegible]

Theodosius Gożewski [illegible] B. M. Sec[illegible]

Damascenus Rymasz[illegible] B. M. [illegible]

PROTOARCHIMANDRITAE O. S. BASILII M. CONGR
SIGILLUM

PROTOARCHIMANDRITÆ O. S. BASILII M. CONGR RUTH.

RINITATIS
ORDINIS S. BASILII